

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Ad Disquisitionem Oratoriam De Summo Hominis Bono,
Die V. Martii Eiusque Hora A Meridie Secunda In Primo
Scholæ Jeveranæ ...**

Eilers, Wessel

Auricae, MDCCXLII.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-704335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-704335)

AD
DISQUISITIONEM
ORATORIAM
DE
SUMMO HOMI-
NIS BONO,

DIE V. MARTII
EUSQUE HORA A MERIDIE SECUNDA
IN PRIMO SCHOLÆ
JEVERANÆ
AUDITORIO INSTITUENDAM
DECENTER INVITAT
WESSELIUS EILERS
SCHOLÆ RECTOR.

AURICÆ,
HERMANNI TAPPERI, PRINC. FRIS. OR. TYPOGR. AULIC.
A. O. R. MDCC XLII.

N^o 23



MEM

DIS

III

32



Farbkarte #13

B.I.G.

Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light blue patch	Light green patch	Light yellow patch	Light red patch	Light magenta patch	White patch	Light brown patch	Light gray patch
Dark blue patch	Dark green patch	Dark yellow patch	Dark red patch	Dark magenta patch	White patch	Dark brown patch	Black patch





Quæstionem, *Lector Benevole*, nonnulli moverunt, iique præcipue, qui melius sibi litterarum sedibus consulere visi sunt: an studiosæ iuventuti conduceret, vt, iuxta alia exercitiorum genera, ad crebriores disputandi actus induceretur.

Eam vero quæstionem ab iis, qui abusus foeditatem cum veri vsus salute turpiter permiscent, esse negatam, non est, quod miremur.

Hac enim plane negata, illaque ad vivum vsque resecta, artificiose eorum tegitur ineptitudo & ignorantia, quorum simul mens simul lingua ab hoc negotio, cultioribus maxime proprio, abhorret.

Deinde vanæ istorum hominum ambitioni domesticum est, reiicere, quod non intelligunt, ne suam eius prodant inscitiam, neque id, quod sapientes prædicant, imprudenter neglexisse existimentur.

Tamdiu ergo se haberi sperant optima quavis arte instructos, quamdiu huiusmodi exercitationes honore privare debito, crudeliterque castigare suscipiant.

Hinc non est, quod cum illo imaginatiõnis æstro, fere insanabili, de infinitis mutux propositionum impugnationis & defensionis, publico factæ loco, vtilitatibus frustra disceptemus.

Quamvis enim viri doctissimi, numëro non pauci, hætenus surrexerint, qui, quod ad hanc mentis corruptionem pertinet sanandam, nihil prætermiserint: militat tamen misera hæc cohors e suis continuo phantasmatum latibulis.

Quid igitur, repeto, longam iuvat contra eos adhibere rationis seriem? Per se enim & quotidiano vsu innumerisque exemplis insigne loquitur operis laudati commodum.

Vt enim in proverbium abiit, dictumque est in sacris litteris verissime: vexatione intellectus dari prudentiam; ita, pluribus excitatis ab alia parte quaestionibus, dubiis & oppositionibus, mentis attentionem confirmari & crescere, meditationem acui, vnum cum altero diligentius conferri, aliud ex alio faciliore promptitudine deduci, verba rebus digniora elegi, scribique cautius, ac pronunciarum melius, quotidie videmus.

Hæc qui, vera esse, negant, modo inspiciant exempla quædam faciliora. Adeant plebeios, iisque præcipue in locis, vbi veritatis & errorum confessores eandem civitatem & regionem inhabitant, tamque hi, quam illi libertate gaudent, vera sua & falsa, sine vlla timiditate defendendi & prædicandi. Observabunt sane, multo ibi homines ad proposita esse attentiores; notiones eorum, quas de rebus conceperunt, distinctiores, quam aliis in locis, vbi in libertatis securitate & sine oppositionis impetu vivere licitum est.

Considerent porro eos, quorum actiones vbiq. vel laudes vel inculpationum turpitudines comitantur. Profecto, si his fungus pro iudicio non sit, siq. his vel aliquis honoris amor existat: vigilantes erunt rerum suarum, cum isti dormitent; circumspectos se præbebunt, cum isti litent securitati; suaque agent opera non sine assiduitate & constantia, cum isti varii sint & vagi, remissique & inconstantes efficiendi muneris consistant.

En alia exempla! alterum sacrum, alterum scholasticum. His enim imaginationis ægritudine decumbentes citius, quam iudicii rationibus moventur. In iis tamen inducendis sic me geram consulto, vt prius magis acquam, posterius autem, ne ipse me loqui videar, negligentius attingam.

Confitemur nimirum, quotquot fido animo Christi castra sequimur, fiduciam christianam demonstrare neminem, nisi eum, qui somnolentiam spiritualem, errores & diffidentiam, cum sanctissima salvatoris doctrina dimicantes, debellet; qui se pigritiæ in Deo, distinctius cognoscendo, fortiter opponat; qui cum inobedienciæ & ingratiitudinis vitio dimicet; qui genio denique infernali, hosti generis humani infensissimo eiusque suggestionibus per totam spiritus armaturam procedat obviam, vigiletque, ne is in mentem, divinæ gratiæ domicilium, clam se insinuet, ibique præsidium habeat & regimen. Hanc litem multi, qui a disputationibus litterariis cæteroquin alieni sunt, lubenter, quatenus christianismum dextre prosequuntur, concedent. Atque id eousque recte. Vbi enim aliquis non

non dimicat contra mala, quæ in eo & circa eum excubias agunt, ibi non est vitæ spiritualis demonstratio. Vbi vero hac caremus, ibi nec vita ipsa. Ea namque ex motibus cognoscitur; hi autem ex regulis motuum, aut, si mavis, ordine actuum spiritus sancti, in sacro codice luculenter monstrato, dignoscendos se exhibent. Vbi denique motus spirituales deficiunt, ibi deficit vita, deficit cum Deo integre faciendi cupido & fides. Vnde aperte conspiciamus militiæ spiritualis necessitatem. At enim vero ex illorum hypothesi, quæ oppositiones reiicit, sic licet rationi convenienter concludere: si disputatio doctorum, præcipue vero Theologorum, recte instituta, nil expedit, sequitur, ut ipsa veritas, ipsaque spiritualis militia, quæ statui fidelium propria est, non sit iis proficua. Namque prior & posterior idem genus, vnde dependent, recipiunt. Hæc & illa se malo opponit, ne id collo Dei amicorum iugum iniiciat servitutis turpissimæ. Deinde: si id, quod propter veritatem & pugnam fidei contra hostes tegendam necessario suscipitur, servandum non est; ipsam quoque luctam spiritus & veritatem non erit opus tueri. Hæc concludendi ratio tamdiu firma consistet, quamdiu aliter sentientes adæquate probabunt, vel hostes fidei & veritatis plane non esse; vel ab iis, cum sint, doctrinam & fidem non adeo infestari; vel, cum incessatur, Deum, nobis quietis nihilque moventibus, immediate pugnare. Horum autem si nihil admittant nec probent; nobiscum sane, disputationes constare sua utilitate, dicendum iis erit.

Tandem illi nobiscum se conferant, si placet, in scholas, vbi adolescentia non solum quotidie tenetur liberiori ingenio, quod audivit & legit, calamo excipere, aut pro diversa animi conditione & facultate eloqui; sed præterea etiam cum condiscipulo respondente de re quadam colluctari; præceptoribus dubia, quæ ad lectionem pertinent, solvenda proponere; actusque habere orationum, in quibus de quæstione iniuncta, nec adeo difficili, suam quisque partem strenue defendere sæpius monetur. Videant illi, an in his scholis multo vivacior, & ad futurum reipublicæ cæsusque christiani usum, longe erectior promptitudo aliquid edifferendi offendatur, quam in iis, in quibus hæc deficient, & in auctoribus exponendis & latina translatione formanda subsistant? Intueantur, quoad hi liberiores ingeniorum labores incuriam iuvenilis ætatis, si quid vnquam, avertere valeant? Ipsi iudicent, quantum ineptitudinis augmentum capiatur, vbi neglectus istorum sit & maneat?

Plura possent & communi hominum vita, è diversis eorum statibus & fortunis, è contraria corporis humani conditione exempla afferri, vnde, quod hactenus evictum est, luce clarius reddatur: sed figimus heic pedem, vt *Benevoli Lectoris*, qui præstantioribus permulcetur, fastidio obveniamus, idque à nobis, quem in finem hæc scripta sint, expediatur.

Disquisitionem *de summa hominis bono*, tempore iam præfinito, cum Deus voluerit, per oratores scholasticos, simul nobis valedicturos, publice offerre animus est. In qua

FRIDERICUS GUNTHERUS FASELIUS, beati *Anthonii Güntheri Faselii*, Pastoris quondam Cleverensium fidissimi minor natu filius, præmissis brevi introitu, quo diversas philosophorum de summo bono sententias earumque causas recenset; in ipsa vero tractatione *epicureum* aget, qui id in *Voluptate sensuum, divitiarum & externi honoris* ponet. *Oratione latina soluta.*

HENRICUS TOEL, beati eodem Parentis nomine & vnicus suburbani mercatoris filius, dum *epicureo* se opposuit, *Medici male sani* larvam ostendet, in corporis sanitate id consistere, læto & generoso *Carminè latino* modulaturus.

Hunc vero curare studebit *Aristotelicus.*

IOANNES FRIDERICUS CHRISTIANUS KOEPPEN, beati *Henrici Christiani Kœppen*, cum viveret, Assessoris, Advocati fisci ac iudicis militaris Jeverani maior filius eo, quod *eruditionem* homini summum esse bonum monstrare contendet. *Carminè germanico*, quo nunc philosophari moris est.

Sed personam *Stoici*, in Germania redivivi, representans, patriam quidem sed simul, vt severior in philosophando sit, *soluta oratione*

IOANNES RUDOLPHUS EKHARDI, beati *Ioannis Rudolphi Ekhardi*, Mercatoris Hooksilensis alter filius *Virtutem* summo opere prædicabit.

Hunc denique æque minus quam præcedentes, bono animo *Christianus Philosophus* sustinet; hinc antiqua fide permanens, solide pariter ac hilariter *Carminè germanico* canet *Deum summum hominis bonum.*

LEVINUS PETRUS VOLLERS, Viri plurimum Reuerendi & Doctissimi *Anthonii Güntheri Vollers*, Athenis Ecclesiæ, quæ *Buthiadanorum* est, filius. Finem actui imponet

MARTINUS ARNOLDUS BUTZER, Viri beate defuncti *Ioannis Valentini*

ni Buxer Medicinæ Doctoris & Emdanorum eiusdem Practici Præclarissimi vnicus filius. Is, expositis obligationum fundamentis, pro beneficiis, in se & præmissos largiter collatis, suo & illorum nomine debitas ager gratias.

Ad iuvenum igitur, qui, per vltimum hunc scholæ laborem, superioribus se rebus dignos, comprobabunt, animos excitandos, *Clementissimam Serenissimi Principis summique Dynastie Ieveranae Præsidis*, vt & gravissimorum *Scholarcharum*, insignium *Patronorum & Amicorum*, bonis litteris faventium, Præsentiâ devote, observanter, cupideque invitamus.

Coronidis loco adducuntur themata, quorum elaborationes in schola Ieverana, anno præcedenti, recitatae sunt.

Disquisitio: an de rebus sacris discipulis scholasticis orationes habere liceat? alter negat, alter affirmat.

Præparatio ad preces Christiano maxime necessaria est.

Fructus historię civilis est vberimus.

Non omne facinus in omni vita nascitur.

Omnis hominum ætas delectatur historiâ.

Christianus invigilare debet pravis tentationibus.

Leges à victoribus dicuntur, accipiuntur à victis.

Sine iustitia vertuntur omnia ad perniciem.

Regum ac Principum afflictæ fortunæ bonos alliciunt ad misericordiam.

Cicero,

Ecclesia non humana auctoritate orta, sed divina est societas.

Somno & cibo in vitam, non in voluptatem semper vtendum. *Paterc.*

Ratio humana se per omnia artium & scientiarum genera diffundit.

Id quisque genus artium eligere debet, ad quod colendum præcipuas ingenii vires & amoris desiderium accepit.

Reliquis felicior est regio, qua principem cum subditis vna devinxit vera Religio. *Ad Sereniss. Princ. Natalem.*

Iustas primi christiani rationes habuerunt, cur Romanorum castra sponte sequi noluerint.

Romani in reipublicæ interitum adulati frequenter sunt nobilioribus.

Ver-

Verbum Dei tutissimum est adversus iuventutis illecebras & inquinamenta propugnaculum.

Nihil philosophice verum est, quod deprehenditur theologicè falsum.

Utilitas non est norma iusti.

In tua cuilibet arte credendum.

Qui diligens veritatis est, is eam diligit.

Disquisitio: an Musis cum Marte aliquid sit commune? *Primus* negat. *Alter* affirmat, probans, non aliquid tantum, sed multum esse commune.

Sacra Scriptura omni pretio maior est.

Amor litterarum mentis desiderium acuit ad diligenter & attente legendum, audiendum & meditandum.

Disquisitio: an quis sensu maxime proprio invenire seu excogitare aliquid novi possit? *Primus* confirmat. *Secundus* refutat,

In studiis est præstantissimum laborandi genus.

Veritatis cognitio animum reddit serenum & sincerum.

Iam a iuventute curandum est sedulo, ne quis bono suo scopo deficiat.

Qui summum Numen ubique veneratur, vere sapiens existit.

Labori venalia præclara sunt omnia.

Providentia divina homini cognitu maxime est necessaria.



Faint, mirrored bleed-through text from the reverse side of the page, including words like "ALPH", "AD", "BRS", and "HERM".

